



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

28. Eleazarvs in Sacro iam ad Canonem perueniens malè remittit paruas hostias, quas Minister pro præsentibus consecrandas primùm affert.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

quod ille ad nocendum habet. Ad *secundum* dicimus, signis nullam penitus vim tribui, sed illa reputari solùm conditiones, quibus positis vel sublatis, velit diabolus nocere, vel à nocendo desistere. Ad *tertium* concedimus, effectum recuperandæ valetudinis per accidens à dæmone prouenire, quamuis Diomedes illum effectum, quatenus spe consequendæ sanitatis fuit illectus, destruendo maleficium directè & immediatè consequi ne utquam intendat, sed solùm remotè & indirectè. Ad *quartum* negamus, Diomedem consentire pacto cum dæmone, quia per Magum eo solùm sine destruit maleficium, vt solvatur pactum cum dæmone: minimè verò ut aliciatur dæmon ad pactum de damno non inferendo seruandum; quam distinctionem, cum non obseruet Sennertus, imperitè sapius nostræ sententiæ Authores impietatis arguit, homo aliàs minimè religiosus. Ad *quintum* iterum negamus, diabolum hîc per se prodesse, cum non excitetur ad beneficium concedendum, sed destructione maleficij dæmonis excitatio potius cauetur ad nocumentum ab illo porro sustinendum.

XXVIII. *Eleazarus Sacerdos in Sacro iam venerat ad Canonem, cum adest minister porrigens quasdam paruas hostias pro præsentibus consecrandas, qui id valde flagitant. Sed remittit has Eleazarus, aiens, serò nimis illas fuisse allatas. Queritur, Vtrum bene remiserit?* Vi-

Videtur bene remisisse. Ita Bonac. *de Sacram. D. 4. Q. ult. pun. 2. n. 6.* Quia ad idem sacrificium pertinent, ad quod hostia grandior. Ergo simul adesse utrasque oportet.

Resp. Eleazarum malè neglexisse adstantiū preces, & remisisse hostias paruas, cū licitè illas (oblacione earundem prius mente conceptâ) consecrare cum maiore hostia potuisset. Ita Possevinus *de offic. Curati c. 2. n. 17.* Marchinus & Megalius, quos refert & sequitur Dian. *P. 6. Tr. 6. Resol. 7.* Nam oblacio paruarum hostiarum neque ratione Sacrificij, neque vi præcepti coniungi debet cū maioris hostiæ oblacione, sed sufficit, utrasq; simul in eodem Corporali reperiri tempore Consecrationis, ut omnes iisdem verbis consecratorijs æqualiter obijciantur. Non dissentit Barthol. Gauantus *in comment. ad Rubr. Missal. Tom. 1. part. 3. tit. 10. n. 19.* Vbi hoc admittit ante præfationem; sed cur non etiam post, cū in neutro casu lex aliqua obstat?

Atque ex his patet etiam ad rationem contrariam.

XXIX. *Elesbaan Rex certo in loco Regni sui statuit vectigal, idque sub gravi pœnâ corporis & fortunarum exigit. Dunaan mercator sæpius hoc præterit, nihilque soluendo periculo se mercesque suas committit. Queritur. Vtrum Dunaan defraudando vectigal peccet mortaliter, teneaturque ad restitutionem?*

Vide-